



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio IV. De duello provt est contrarium paci Charitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

homicidij non sunt irregulares nisi qui occidunt iniuste, vel qui licite quidem occidunt sed tanquam ministri publici iustitiae: Clericus vero qui cum legitima causa bello interest, & in eo pugnat, neque illicitè occidit, neque ut minister publicus iustitiae, ideo non incurrit irregularitatem.

§. IV.

Modus quo geri debet bellum, ut sit iustum.

Vltimum hoc caput de modo quo gerendum est bellum, multiplicem controuersiam continet circa ea quae fieri possunt & debent, initio belli, durante bello, & post partam victoriam in hoc enim triplici tempore, quaedam spectant ad supremum Principem à quo bellum indicitur, quaedam ad medios belli Duces, quaedam ad milites, possunt autem constare ferè omnia ex dictis. v. g. primò quod Princeps antequam bellum inchoet teneatur omnia tentare ut accipiat condignam satisfactionem offensae, atque illa obtenta cessare à bello, alioqui bellum esse iniustum satis constat ex priori puncto de legitima causa belli. Secundò, quod toto belli tempore ante partam victoriam possit tum ipse tum milites inferre hostibus omnia damna, quae videntur esse satis ad obtinendam satisfactionem vel victoriam modò non sint intrinsecè mala, sicque posse milites praedari, sed ita tamen ut illae praedationes non se extendant ultra licentiam Principis vel expressam, vel rationabiliter praesumptam. Tertiò, quod parta victorià victori licet omnia illa damna victis inferre quae satis esse poterunt ad iustam vindictam ac compensationem omnium damnorum, & ad pacem firmandam. Ita vniuersum statuunt Doctores ex quibus non est difficile statuere, quid necesse sit feruari tum in conflictu, tum post partam victoriam, tum circa nocentes, eos videlicet omnes qui possunt arma ferre in republica hostili: tum circa innocentes eos nimirum qui arma non possunt capere ut Clerici, mulieres, & pueri: quomodo videlicet illi omnes possint occidi, inseruitutem redigi, bonis spoliari.

Occisio nocentium & innocentium. Dico quartò, licetè omnino quolibet nocentes in conflictu publico, posse occidi, post conflictum autem posse aliquos eorum in poenam occidi, tam multos autem occidere inhumanum omnino esse ac illicitum. Innocentes autem tum in conflictu tum post illum, nunquam omnino licitum esse directè interficere, licet autem eos indirectè interficere ac per accidens. Ita tradunt Syluester, Victoria, Valentia, & ex dictis videtur esse manifestum.

Hostium captiuitas. Praeterea iuste omnino ac licetè posse hostes omnes bello captos, siue sint nocentes retineri à victoribus, fierique iure gentium illorum seruos, ac mancipia si sint inhædes. Inter Christianos autem iure gentium receptum esse ut non fiant mancipia illi fideles qui capti sunt in bello, sed tantum ut honestè apud illos detineantur, donec se iusto pretio redemerint, quod privilegium ad Apostatas non extenditur, sed ad haereticos tamen extenditur ex consuetudine. Ita censent Doctores omnes citati.

Spolia ex hostibus. Denique bona qualibet mobilia capta ex hostibus tum nocentibus, tum innocentibus fieri capiuntur propria, siue Ducum, siue militum, qui ea possunt retinere absque alia vlla facultate, ne-

Tom. I.

que nunc consuetudine receptum esse ut inter victores diuidantur: bona verò immobilia solius fieri Principis bellum indicentis. Ita ferunt leges ciuiles, quas dabant Couarr. & Syluester. Supererat dicere aliquid de insidiis quas constat esse non solum licitas, sed laudabiles. De fide hostibus seruanda, quam certum est frangendam non esse nisi eam prior hostis frigerit. Demum de non aduocandis in auxilium infidelibus, quorum tamen opem constat non magis posse damnari, quam vltum fratrum in perniciem hostium.

Insidiarum, fides seruanda.

SECTIO III.

De duello prout est contrarium paci Charitatis.

Bello de quo haecenus dixi suppar est duellum, quod est paucorum ac ferè duorum bellum, sunt autem de illo scienda quatuor, primò, quid & quoduplex illud sit, & quos ob fines fiat, secundò, quomodo licitum illud sit quando sit ad depellendam iniuriam nondum illatam, tertio, quomodo sit licitum quando sit ad vlticendam iniuriam illatam, quartò, quanam illius poenae.

§. I.

Quid & quoduplex sit duellum, & quos ob fines fiat.

Certum est primò, duellum rectè definiri, pugnam corporalem deliberatam quae fit inter paucos, vel ad purgationem criminis, vel ad consequendam gloriam, vel ad exaggerationem odij. Ad duellum videlicet tria solent exigi, primò ut sit pugna facta cum armis quibus mors possit inferri, alioqui contentio erit aut rixa, non autem duellum. secundò esse deliberata ex vtraque parte, ita ut ex pacto, & consilio praemeditato inecatur pugna, qui enim subito & sine praui illa deliberatione pugnant non sunt duellantes, nec eorum poenis subiiciuntur, sine hac itaque mutua conuentione non est duellum: Denique requiritur loci designatio in quem ambo conueniant, & in eo pugnent: si enim de loco non conuenerint sed facti casu obuij pugnare incipiant, tunc non est duellum, quod vtrinque debet esse praemeditatum, tum quoad pugnam, tum quoad locum.

Definitio duelli.

Certum est secundò, duellum rectè diuidi in illud quod sit autoritate publicà, & illud quod sit autoritate priuata. Illud dicitur autoritate publica fieri, quod à Principe vel permittitur, vel praecipitur ad terminandum graue aliquod bellum aut ad eruendam veritatem, qualis est purgatio criminis alicuius obsecuti, hoc erat olim duellum solemne, circa quod plures erant decretae leges. Autoritate priuata dicitur suscipi duellum quod absque Principis mandato, aut permissione initur à priuatis hominibus, de quo ferè solo hic est controuersia.

Varij fines.

Certum est tertio, quatuor esse potissimum fines propter quos duellum autoritate tum priuata, tum publicà initur. Primus est, dirimendum bellum, cum scilicet inter Duces exercitus conuenit ut vnus aut plures ex vtraque parte inuicem pugnent, & ab ea parte stet integra victoria, cuius milites singulari eo bello vicerint. Alter finis est depulsio iniuriae nondum illata sed inferenda v. g. cum ad inueniendam veritatem criminis obiecti, reo neganti, duellum offertur aduersus accusatorem: & ita

○○○○

de

de aliis iniuriis quæ depelli possunt oblatio duello. Tertius est reparatio honoris, & ultio iniuriæ iam illatæ, cum scilicet aliquis re quapiam offensus ab altero ipsum prouocat incertum aliquem locum, ut ibi alterius sanguine diluatur probum.

Primum illud duelli genus in quo totus belli exitus ad paucorum certamen reuocatur, sine dubio licitum esse asserunt Theologi communiter cum Caietano, Syluestro, Valentia, Serario in *l. 17. l. 1. Regum*, Sanchez *l. 1. moralium c. 13. n. 13*. Suare *disp. 13. de charitate sect. ultima*: Et facile probatur, quia duellum esse non potest iniustum, quod est pars belli iusti, est autem pars iusti belli, si eo modo ineatur. Et sanè huiusmodi duella sæpè laudata sunt in *historiis* v. g. Venceslai Bohemæ Regis qui ut parceretur innocentium sanguini, duello litem decedit ipse cum Principe inuasore partis Hungariæ, ut narrat Aeneas Syluius *c. 15*. Cuiusmodi regis Longobardorum qui perfidum ducem Abachim vocauit ad Monomachiam, ut refert Baronius anno Christi 691. De altero illo duelli genere, quod quarto loco enumerabam, fieri ad solam ostentationem virium & peritiæ in armis tractandis, nihil attinet dicere cum illa sit res aperte mala, & magnum stultitiæ indicium. His igitur duobus omnis generibus duelli, secundum & tertium grauem habent controuersiam.

S. II.

An & quomodo duellum esse possit licitum ad depulsionem iniuriæ nondum illatæ.

Triplex controuersia.

Tripliciter mouere me potest iniuria, quæ mihi ab alioquo inferitur, ad offerendum vel ad acceptandum duellum. Primum si criminis alicuius obsecuti peragar reus apud Principem, qui mihi offerat aut permittat duellum aduersus actorem, eo fine, ut qui vicerit innocens & purgatus habeatur: sic enim sæpè tulit receptissima inter omnes gentes consuetudo, de qua plura dabitur Postseuimus in *Dialogo de honore*, Delrio *l. 4. cap. 4. quest. 4. sect. 4*. Secundò, si litem mihi aliquis apud iudicem intenet ob quam impossibile mihi sit vitare mortem, infamiam, iacturam bonorum nisi accusatorem iniquum vel prouocem ad duellum, vel oblatum ab eo acceptem. Tertio, si quis per se ipsum auferat mihi actum vitam, bona, honorem. De tribus illis casibus grauis difficultas est, quomodo duellum possit esse licitum.

Prima dubitatio de purgatione innocentia.

Ratio enim dubitandi primò est, quia negari saltem non potest, quin acceptare duellum posset innocens, si damnaretur ab iniquo iudice, ut vel in duello pugnaret cum aliquo a quo non est accusatus ut se purgaret ab obsecuto crimine, vel mortem subiret, ergo huiusmodi duellum probandæ innocentia causa, non est semper illicitum. Probatur antecedens, quia tunc innocens habet verum ius ut conetur euadere mortem aduersus iniustam iudicis sententiam, etiam cum detrimento tertij, quo tunc iudex utitur tanquam instrumento, plus enim tenetur diligere se ipsum quam Proximum illum: erit ergo duellum illud potius defensio, atque adeò illud esse licitum, censent Angelus, Toletus, Valentia, Becanus, & alij adducti à Sanchez *l. 2. moralium c. 39. n. 4*.

Secunda de iniusto calumniatore.

Secundò, videtur quod aduersus iniustum calumniatorem priuata autoritate licet prouocare aut acceptare duellum, si enim duellum illud sit pura defensio vitæ, fortunarum & honoris contra

iniustum inuasorem, certè videtur quod iuste suscipi potest, licet enim unicuique uti iusta defensione cum moderamine inculpatæ tutelæ: sed illud duellum quod reus aduersus iniustum actorem suscipit nondum finita sed adhuc pendente lite, non est aliud quam defensio, nam tunc accusator est inuasor iniustus, tam enim inuadit quam qui proprio gladio ferit, quemadmodum si scires conductos esse ab aliquo assassinos, & datam illis pecuniam ad te occidendum, posses illum occidere, vel etiam duello prouocare constitutus in extrema necessitate aut moriendi, aut pugnandi.

Tertio, exigit ordo charitatis ut bona superioris ordinis præferantur bonis ordinis inferioris, sed vitata est bonum nobilior bonis temporalibus, ergo ad conseruanda bona temporalia non possum exponere me periculo mortis: Deinde vel vides te fortiorum esse iniusto inuasore, & sic sine duello illum potes occidere, vel vides te infirmiorum, & sic mortem certam præfers iacturæ bonorum, quod est illicitum.

Dico primò, duellum quod suscipitur ad indagandam veritatem alicuius criminis, aut alterius cuiuscunque iuris semper illicitum est quacunque fiat autoritate. Sic asserunt Theologi omnes cum S. Thoma *quest. 95. art. 8*. & aperte habetur ex pluribus capitibus iuris v. g. ex *capite Monomachiam 2. q. 5. cap. significantibus*, de purgatione vulgari. Sic enim appellabatur duellum illud susceptum ad probandam suam innocentiam.

De duello ad probandam innocentiam.

Ratio est, quia illa erat vera superstitio in qua tentabatur Deus. Deinde assumebatur medium intrinsecè malum ad finem ad quem erat inutile, quod est illicitum, sæpius enim qui iustam tuentur causam in bello possunt occumbere.

Dico secundò, nunquam priuata licet autoritate duellum suscipere contra calumniatorem iniustum, qui coram iudice me accusat, etiam si duellum esset tunc medium vnicuique ad conseruandam vitam, aut honorem, aut bona: sed esse probabilius quod autoritate publica id licet.

De duello contra iniustum calumniatorem.

Prima pars docetur à Suare *disp. 13. de charitate sect. ultima*, Hostiensis, Alano, Syluestro, Soto contrarium autem asserunt Nauarrus in *manuali c. 11. n. 39*. Thomas Sanchez *l. 2. cap. 39. num. 4*. Molina *tom. 4. d. 17. Toletus l. 5. summa c. 6. num. 32*. Nauarra *l. 2. de restitut. cap. 3*. Valentia *quest. 17. pag. 1*. Becanus, Filliucius, Bonacina, Hurtadus.

Autoritate priuata non licet.

Ratio tamen optima meo iudicio est, quia si reus iniuste accusatus posset autoritate priuata duello aggredi accusatorem, posset etiam illum occidere occultè, nulla enim ratio probare potest nunc esse licitum, quæ non probet licitum etiam esse aliud: si enim titulo defensionis pugnare tunc possum, possum etiam eodem titulo inuasorem necare. Consequens autem illud falsum omnino est, & reiiciendum ut ostendebam in Tractatu de Iustitia, propter perturbationem scilicet maximam & perpetuas cedes, quæ eo semel admissis exorirentur. Imò addo cum Nauarra, & Sanchez quod si fas esset homini reo acceptare duellum, aut offerre accusatori, multo magis deberet occultè illum occidere si posset, quia sine necessitate nemo potest exponere se periculo mortis.

Secunda pars asserit fas esse innocenti qui falsi criminis accusatur contra iniustum actorem duellum suscipere publica permisso aut oblatum autoritate, suæ finitæ pendente adhuc lite. Sic enim asserunt omnes quos adducebam contra priorem partem

Autoritate publica licet.

pattem assertionis, & præterea Caietanus q. 95. art. 8. & in summa verbo duellum, de Lugo de homicidio n. 173.

Ratio est, quia iuste quilibet autoritate publica crimen punire potest quod certum esse cognoscitur: sed innocens iniuste accusatus certò cognoscit crimen iniusti accusatoris, ergo iuste potest autoritate publica illud punire conando interficere actorem, & usurpando tunc quodammodo tortoris munus: unde ille tunc non peccat contra charitatem Proximi, quem ut reum punit, neque contra propriam charitatem, quia ut certam vitet mortem exponit se periculo incertæ mortis, quod est illicitum, unde Corruit argumentum Sanchez, quia, inquit, defensio licita est sine licentia Principis, hoc enim fateor, quia hoc vindicta est non defensio, si enim iam accusauit, peccauit, & si accusat actu tunc etiam peccat & meretur poenam.

Instantia.

Dices cum Suare, iudex concedere non potest illam facultatem, vel enim certus est de peccato accusatoris, & sic accusatum exponere non potest periculo mortis, vel est certus de peccato accusati, & sic malè accusatorem exponit periculo, vel de utroque & sic neutrum punire potest.

Respondeo concedendo quod iudex facultatem illam concedendo peccat, sed ego tamen qui meam cognosco innocentiam facultate illa malè concessa non malè vtor, quia ius habeo puniendi eum, quem ad id damnat iudex.

Dico tertio, licitum omnino esse duellum cum eo qui mortem inferre nititur: pro defensione autem fortunarum probabilius est, quod idem etiam licet, si graue sit damnum quod aliquis patitur iniuste.

Prima pars communis est inter omnes, quia iniustum vitæ inualorem licet cuiuslibet occidere, & aliunde ad vitandam certam mortem, licet exponere se periculo incertæ mortis. Sed notant tamen Doctores quod aggressorem illum iniustum potes interficere, teneris illum potius occidere quam periculo te illi exponere per duellum, cum enim possis certò mortem vitare, nefas est exponere te periculo incertæ mortis.

Secunda pars de fortunarum defensione videtur difficilior, negant eam Abulenſis, Suarez, Filiucius, Aragonius, Becanus, quia ordo charitatis exigit ut maiora & superiora bona præferantur bonis inferioribus, sicut ergo non licet vnquam vitam temporalem æternæ salutis præferre, sic nunquam licet temporalia fortunæ bona præferre vitæ, ergo ille qui exponit se periculo mortis ut bona tueatur temporalia, facit contra ordinem charitatis. Sed melius tamen affirmant id esse licitum Caietanus, Bannes, Bonacina, Sanchez, Hurtadus Ratio est, quia licet cæteris paribus, ordo charitatis exigit, ut temporalem vitam, præferam bonis fortunæ, non exigit tamen ut cum summo meo incommodo redundante in ipsam vitam, tanti eam æstimem, ut illam præferam bonis quorum amissione illa futura sit valde incommoda, ut etiam constat ex his quæ dici vulgò solent de obligatione conseruandi vitam propriam. Si enim v.g. potio mihi amarissima sit haurienda ut mortem euitem, possunt subire potius mortem: similiter ergo si latro notabilem mihi summam velit eripere, fas mihi est prohibere contemptam etiam vitæ. Neque par est ratio de salute æterna, cuius iactura cum sit summum malum, nullum est incommodum temporale, quod non teneat subire ad illam vitandam, vitam verò temporalem negligere possum in multis casibus. Reliqua de ordine charitatis quæ opponebantur statim soluentur.

Tom. I.

Ad primam Respondeo duellum illud in quo innocens pugnaret cum alio à quo non esset accusatus, non fieri ab innocente ad probandam innocentiam, sed ad defendendam vitam: conclusio autem reprobatur duellum illud, quod fit ad probandam innocentiam. Sed adhuc tamen probabilius est, illud in eo casu esse planè illicitum, ut rectè docent Syluester, Hostiensis, Rosella, Henricus, & Suarez. Ratio est, quia innocens ille patitur iniuriam à iudice non autem ab illo tertio quem suppono esse innocentem, neque potest illum vitæ priuare. Neque obstat quod ille tunc sit instrumentum iudicis, non enim propterea nocens & morte dignus: si autem ambo essent nocentes, & morte digni, præcipere posset iudex illud duellum ut experiretur illorum vires, tunc enim alter alterius esset tortor, quod non est illicitum.

Ad secundam Respondeo neminem uti posse defensione per medium aliquod ex quo maiora in rempublicam mala exorirentur, huiusmodi verò essent duellum, occulta cædes &c.

Ad tertiam Respondeo distinguendo illam maiorem, ordo charitatis exigit ut bona superioris ordinis præferantur bonis ordinis inferioris, si præferri possint sine maximo incommodo bonorum superioris ordinis concedo, si non possint seruari, nego: v.g. si rapiuntur mihi facultates, erit mihi deinceps agenda vita in summis angustiis & merore, certè possum præferre minora bona, quæ faciunt ad vitam commodè agendam: si verò bona quæ rapiuntur essent huiusmodi ut ablatis illis vitam adhuc sine incommodis acturus essem, fateor quod duellum mihi tunc esset illicitum ut rectè probat argumentum. Denique si videas te aduersario illo esse superiorem, non potes cum illo pugnare sed occidere potes ad tui defensionem nimialis crumenam dimittere, si vides te infirmiore aut æqualem, potes tamen pugnare, quia defendere illa bona tibi licet, cum periculo vitæ, modò tamen illud non sit omnino certum.

§. III.

Utrum ad ultionem iniuriæ iam illatæ duellum sit licitum.

Quæ dicta sunt hæcenus de duello ad repellendam iniuriam inferendam, vel etiam præsentem, vix habent difficultatem. De illo verò duello quod suscipitur ad iniuriam vlciscendam, quæ illata iam est, maxima est & scitu dignissima difficultas utrum videlicet semper intrinsecè malum sit & illicitum viro nobili qui graui est affectus iniuriæ prouocare ad duellum, eum, à quo sit offensus, vel etiam ei qui ab altero prouocatur semper illicitum sic acceptare.

Ratio enim dubitandi primò est, pro illo qui graui est affectus iniuriæ, v.g. fuste percussus, aut alapà, nam ille vel tenetur esse infamis inter homines, vel potest eum à quo est offensus prouocare ad duellum, certum enim est quod carendum illi deinceps est publico, quod latendum, & ab omni hominum consorcio fugiendum, si vel cogitet prouocare ad iudicem, vel abstinere à prouocatione duelli, quæ vna via est ad honorem non solum recuperandum sed etiam defendendum. Sed ille qui tam graui est affectus iniuriæ, non tenetur ita miserè viuere ac in sordibus delitescere, ergo prouocare potest ad duellum. Confirmatur

0000 2

quis

Solutio prima dubitatio.

Solutio secunda.

Solutio tertia.

Prima dubitatio.

quia saltem illa aduersario dicere potest à quo tantà est affectus iniurià, exhibe mihi modo satisfactionem, quæ si denegetur noua iniuria inferitur, quam vt repellat, licet illi stricto gladio petere aduersarium, vel etiam prouocare ad duellum, non in vindictam iniuriæ prioris, sed in defensionem nouæ.

Secunda dubitatio.

Secundò, ille, nullo modo peccat qui utitur iustâ defensione aduersus eum qui honorẽ eius inuadit iniuste, licet enim vt dictũ est pro defensione vitæ ac facultatum aggressorem occidere, vel duello certare cum illo. Sed acceptatio duelli oblata est defensio honoris non autem vindicta. Nam ille actus est defensio honoris per quem repellitur infamia inferenda, sed acceptatio duelli actus est per quem repellitur infamia subeunda nisi acceptetur, ergo acceptatio duelli est defensio, non vindicta, qui enim prouocatur ad duellum nihil habet quod vindicet, sed tantum quod repellat infamiam maximam, ludibria, fannas. Neque satis est dicere stultorum iudicia hæc esse, aliter autem existimare sapientes; nam hæc est inter omnes nobiles communis opinio, hæc virorum etiam principum sententia, vt quicumque vel prouocatus recusat duellum, vel offensus non prouocauerit, ille nullus deinceps homo sit vnde illud tantum est ac tale dedecus vt pluri illud æstiment nobiles, quam amissionem bonorum omnium & ipsam etiam mortem. Confirmatur, quia si media in sylua pecuniam mihi aliquis auferre tentaret, vel offerret duellum, acceptarià me posset duellum, vel etiam Offerre illud ego possem: sed qui ad duellum me prouocat auferre mihi vult honorem, quo deinceps omni sum cariturus, ergo acceptare possum duellum perfectum cum multi sæpè principes priuent officiis in bello eos, qui recusant duella, onus igitur illud viro nobili est intolerabile.

Tertia dubitatio.

Tertiò, cum quis te iniuste inuadit etiam si fugere commodè possis, non teneris tamen, sed occidere illum potes, veletiam duellum suscipere ad vitandam infamiam fugæ, ergo similiter prouocatore licebit occidere in duello, cum ex recalcatione duelli non minor oriatur apud homines infamia quàm ex fuga. Si enim ad vitandam infamiam possum resistere, possum etiam acceptare duellum: videtur enim par esse ratio.

Confirmatur, quia, neque prohibet lex iniustitiæ prouocationem aut acceptationem quia vtor defensione: neque lex charitatis Proximi qui voluntariè in eas me coniecit angustias. Lex verò Ecclesiastica non videtur obligare me posse cum tanto incommodo, quod est quamplurimis intolerabilius ipsa morte imò concilium Tridentinum sola videtur prohibere solemnia duella quæ fiebant ad criminum purgationem.

Prima conclusio contra acceptationem duelli.

Dicendum tamen primò est, acceptationem duelli ad repellendam infamiam, & notam ignamiæ semper esse illicitam, & ita intrinsecè malam vt in nullo vniquam casu possit esse licita. Ita docent omnes Theologi vnâ voce, nam quamuis referat aliquos Bannes 22. quæst. 64. art. 7. dubio 3. contrarium sensisse, ignoti tamen illi, & prorsus ignari sunt, quos alij omnes vulgò deferunt, vt ostendunt Sanchez c. illo 39. sæpè citato, Scortia in selectis constitutiones Pontificum theoremate 391. Molina disput. 17. citata, Layman lib. 3. tract. 3. parte 3. c. 3.

Leges civiles.

Primò enim huiusmodi duella ius civile damnat, legesque omnes Christianorum principum, nam in Gallia, Hispania, Italia, furor hic duellantium multis coercetur pœnis. Poruit autem respublica iustissimè hoc vetare, propter grauiam incommoda quæ in rempublicam ex his duellis redundant, interitus ani-

marum, desolationis familiarum, & aliorum huiusmodi malorum quæ redundant ex huiusmodi cædibus. Vnde quamuis iure naturali non prohiberetur duella, respublica tamen & Ecclesia potuissent prohibere, quia bonum commune praualeere semper debet bono particulari.

Secundò damnat hunc furorem ius Canonicum in cap. Monomachiam secunda quæst. 4. & titulo 3. de Clericis pugnantis, & titulo 14. de purgatione vulgari accedunt decreta Conciliorum, Valentini sub Lothario c. 12. Lateranensis c. 1. de torneamentis, sed maxime Tridentini sess. 25. c. 19. de reformatione, vbi omni genere pœnarum prohibet duella, excommunicando pugnantes, spectatores, adiutores, instigatores, priuando beneficiis, sepulturâ Ecclesiasticâ, & pluribus aliis pœnis mulcendo. Præterea Pontifices pluribus datis Bullis eundem comprimunt furorem, Iulius II. Leo X. Iulius III. Pius IV. Quia verò & Concilia & Pontifices videbantur loqui de solemnibus tantum duellis, quoniam priuata hæc Laniena vix in vsu erat propterea Gregorius XIII. & Clemens VIII. constitutionem illam Concilij omnèque illius pœnas ad duella etiam priuata extenderrunt, excommunicatione, suspensione, priuatione bonorum, famæ, sepulturæ, in eos lata qui huiusmodi duella susceperunt, promouissent, spectassent.

Tertiò, ius etiam naturale damnat hæc duella, Ratio naturalis, quod, probatur, quia iure naturali prohibemur occidere alium, & nos ipsos exponere periculis mortis quoties illud non est necessarium ad defensionem vitæ facultatum aut honoris, sed acceptatio duelli non est necessarium medium ad defensionem honoris, non tantum veri apud homines sapientes, sed etiam vani apud stultam multitudinem, cuius tamen existimatio nihili omnino facienda est, & ad cuius conseruationem non liceret pugnare, ergo huiusmodi acceptatio duelli repugnat iuri naturali. Probatur minor Clarissimè, si enim apud imperitum etiam vulgus constare possit quod oblata duelli recusatio non sit nota timiditatis, certè non amittitur vanus ille honor etiam apud imperitum vulgus, sed constare potest quod illa non sit nota timiditatis. Primò enim si prouocanti affirmes te solo Dei timore ductum nolle ad conditum locum proficisci, sed paratum tamen te vbique ac semper futurum ad tuendum armis honorem tuum egressurum te quotidie per urbem, & rura, expectaturum aduersarium si aggrediatur quàm parum verearis illius arma. Hic profecto nulla est etiam minima vmbra timiditatis.

Dicendum est secundò, esse ita illicitam prouocationem ad duellum, ad infamiam repellendam iniuriæ iam acceptæ, vt illa in nullo prorsus casu possit esse licita. Ita etiam omnes tam Theologi tùm Canonistæ vnanimiter damnantes peccati grauis prouocationem duelli.

Primò enim damnant eam leges tùm civiles, tùm canonice quas suprà retuli, omnia Conciliorum decreta, omnes Pontificum bullæ quod sanè homini Christiano plusquam sufficiens ratio est ad eam omnem stultitiam proscrubendam.

Secundò ratio solida est, quia vindicare auctoritate priuata iniuriam intrinsecè malum est & illicitum, sed qui acceptâ iniuriâ prouocat aduersarium ad duellum vlciscitur iniuriam auctoritate priuatâ, ergo illud intrinsecè malum est: probatur minor, nâ si acceptâ alapâ prouoces percussorem tunc non impedis ne inferatur iniuria, nam illa integrè iam illata est, ergo illa non est defensus sed vindicta. Neque dicas sequi ergo, quod si princeps permitteret tibi vt prouocares tunc duellum non esset peccatum.

Nego

Nego enim hoc sequi quia etiam princeps honestate non potest vindictam, neque permittere ut te ipsum innocentem exponas moris periculo.

Altera ratio.

Tertio, duellum huiusmodi non solum est intrinsecè malum, sed etiam medium inutile ad recuperationem honoris deperditi, ergo illud in nullo casu admitti potest: probatur antecedens, nam si Petrus Paulo dicat mentiris, non restituitur honori Paulo, nisi constet quod ille non sit mentitus: sed quantumvis Petrum ad certamen prouocet & cum illo pugnet non constabit quod Paulus non sit mentitus, ergo duellum erit Paulo medium inutile ad recuperandum honorem amissum, si enim pugnet, constabit illum esse peritum militem, non constabit illum esse veracem, erit ergo duellum vindicta, non autem vel defensio, vel honoris reparatio.

Spernendus est sæculi honor viro Christiano.

Quarto, vix fieri potest ut duellum sit etiam medium necessarium ad tuendum honorem illum bonum & imaginarium, qui enim offenditur & ipso tempore quo iniuriam accipit potest illam repellere, aggressorem etiam occidendo. Addo autem, quod in hac materia valde obseruandum est aduersus blandos aliquos vitorum fautores, quod licet eo nomine apud viros insipientes malè auditurus esses, spernendum esse nihilominus hoc iudicium, neque propter illud committendam esse rem damnatam ab omnibus iuribus ciuilibus, canonicis, & naturali quis? videlicet dicat scortari licere a lasciuiare, inebriari, comessari, quia ridebunt aliqui homines impij tuam modestiam ac timorem Dei: quis enim lusco non ridet temperantem, aut quis asserat negari posse Christianam fidem, quia eam Ethnici & Turcæ derident. Igitur Christiano cuiuslibet fixum illud esse debet & ratum, quod Christum omnibus præferat, fallacia regmina inquit August, l. 3. Ciuit. c. 14. *auferantur à rebus ut syncero inspiciantur examine, nemo mihi dicat, magnus ille atque ille, quia cum illo & illo pugnavit, & vicit: pugnant enim gladiatores, vincunt & ipsi, habet præmia laudis illa crudelitas, sed puto satius cuiuslibet inertia potius penas luerè, quam illorum armorum gloriam querere.*

Recentiori limitatio.

Hoc autem ita vniuersaliter verum est ut nullo modo probabile existimem esse hanc restrictionem à quibusdā recentioribus approbatam ex Doctrina Nauarri c. 13, *summa* n. 3. quod si eo loco res sita sit ut miles in exercitu, vir equestris in Aula regia officio, dignitate, favore Ducis aut Principis, ob ignauia suspensionem debeat excidere nisi listat se identidem prouocanti, tunc audere se dammare illum qui merè defensionis gratia duellum suscepit.

Reiicitur.

Hoc, inquam, periculosum videtur, & omnino reiiciendum, quia si ex nequitia Ducis aut Principis excideret aliquis de gradu honoris, nunquam tamen res intrinsecè mala fieri potest licita propter imprudentium hominum nequitiam. Imò esto verum sit, quod duellum sit licitum quando suscipitur aduersus eum qui iniuste mihi magistratum aut officium aut fortunas eripit, est tamen illicitum aduersus illum qui dat mihi causam duelli, quod si non acceptem alter me priuaturus est magistratu.

Solutio prima dubitationis.

Ad primam, respondeo primò quidem quod si reuera esset necesse viro illi nobili post acceptam iniuriam miserè viuere, deberet tamen falsam illam infamiam potius subire, quam committere rem intrinsecè malam, sicut Martyrium potius subire teneretur quam negare fidem. Deinde facis ostendisse videor quod ille dum accepit contumeliam, potuit iniuriam repellere. Ad confirmationem esse profusum illicitum & qui offensus est petere satisfactionem, ac statim offerre duellum si ea denegetur, quia nemi-

ni autoritate priuata satisfactionem exigere licet, nec per se ipsum suscipere: in hoc autem casu tu ipse tibi postulas satisfieri quod est illicitum, & merus furor amatorum sæculi, hostium Christi.

Instantia.

Instantia, duellum autoritate publicè licitè posse suscipi contra calumniatorem qui vult eripere mihi vitam, fortunas, & honores, ergo eadem etiam principis autoritate suscipi potest duellum ab eo qui me percussit, cuius ergo tunc crimen puniam, ut Regis minister.

Præcluditur.

Respondeo esse disparitatem, quia malum illud quod infert mihi calumniator est tantum in fieri non autem in facto esse, unde ut illud propulsem exponere me possum periculo mortis: damnum autem illud quod intulit ille à quo percussus sum est præteritum, unde illud vitare non possum subeundo mortem cuius exponam me periculo per duellum.

Solutio secunda dubitationis.

Ad secundam, respondeo primò quidem distinguendo illam maiorem, ille non peccat qui iusta defensione vitatur aduersus eum qui eripit honorem, si defensio illa sit medium vnicè necessarium ad tuendum honorem & repellendam infamiam, concedo: si non fuerit medium vnicè necessarium, nego: satis autem ostensum est, quod duellum non est medium vnicè necessarium ad tuendum honorem illius qui prouocatur ad duellum, ergo illud non potest licitè acceptari ad vitandam infamiam quæ aliter vitari potest. Deinde aliter etiam maior illa potest distinguui, ille non peccat qui defensione vitatur aduersus eum qui eripit honorem, si honor tunc actu eripitur per iniuriam præsentem, concedo: si eripitur per iniuriam præteritam nego: tunc quando duellum suscipitur, non actu eripitur tibi honor per iniuriam præsentem sed creptus iam est, unde illa non erit iusta defensio, sed vindicta: unde ad confirmationem valet disparitas illa duplex, cum enim latro media in Sylua eripere tibi vult crumenam, tunc duellum est medium necessarium ad seruandam crumenam, & tunc quando pugnas actu tibi hæc iniuria infertur, unde disparitas euident est. Vix autem inter Christianos contingit ut propter duellum recusatum aliquis priuetur officiis, & si contingeret, genus illud esset Martyrij alacriter subeundum viro cœlum desideranti, & credenti Christum.

Solutio tertia dubitationis.

Ad tertiam, respondeo primò quidem cum de Lugo esse disparitatem inter fugam & acceptationem duelli, quia ille qui non fugit verè prouocatur ab eo qui vult ipsum occidere, atque se ipsum tantum defendit, & nullum medium habet infamiam vitandi præter pugnam. At verò qui acceptat duellum nullam præsentem vitam defensione vitatur, quia nemo illum inuadit non ergo pugnat ut vitam tueatur, sed ut vires & peritiam ostentet quod intrinsecè malum est. Video tamen dici posse quod ille qui prouocat ad duellum, etiam si non inuadat vitam, honorem tamen inuadit, quem vult eripere atque ita eum qui acceptat duellum, uti defensione. Unde respondeo secundò, eum qui acceptat duellum ad quod prouocatur habere aliud medium ad vitandam infamiam ut ostensum est, illum verò qui non fugit uti defensione omnino necessaria vitæ ac honoris.

Unde neque verum est, quod ait Hurtadus disp. 170. §. 106. quod prouocatus fortassè potest ire ad locum condictum cum voluntate pugnandi solum conditionata. Verum hoc meritò improbant alij communiter cum Diana *parte 5. Tract. 14. resolut. 99.* quia videlicet primò sic possent eludi leges omnes tum Ecclesiasticæ tum ciuiles prohibentes duella, sic etiam eluderentur pœnæ omnes infligæ duellantibus.

bus. Deinde scandalum magnum esset illis omnibus qui viderent euntem ad bonum illum, & aduersario etiam prouocatori cui occasionem daret ruinæ. Tertio est ea acceptatio rei intrinsecè malæ, quæ semper mala est & illicita.

Ad confirmationem satis ex dictis liquet, quomodo acceptatio duelli repugnet iustitiæ in Deum & proximum, charitati etiam alienæ ac propriæ, obedientiæ quæ debetur Ecclesiæ, Principibus, & demùm violet iura omnia positiua diuina & humana, & ius ipsum naturæ.

§. IV.

Quenam sint pœna duellantium.

Pœnae anti-
qui iuris.

Non ago de antiquo illo iure, quod præcessit tempora concilij Tridentini, nam ex C. monomachiam de clericis duellantibus solum constat quod clericus committens duellum suspensus erat non ipso facto, sed post iudicis sententiam, vt rectè docent Henriques, Suares, Sanches. Sed neque ago de duellis solemnibus quæ sunt valde rara licet de illis ferè solis agatur in Tridentino, & in bulla Pij. IV.

Tota ergo controuersia est, de pœnis statutis aduersus duella priuata, per bullas Gregorij XIII. & Clementis VIII. in quibus pœna omnes statuta in Tridentino aduersus duella solemnia, extenduntur ad duella etiam priuata, vnde mihi breuiter exponenda sunt pœnae ipsorum duellatorum, spectatorum, & eorum qui aliquo modo iuuant.

Pœnae duel-
lantium.

Dico primò, illos omnes qui duellum committunt siue prouocent, siue prouocentur incurrere pœnam excommunicationis latæ sententiæ, proserptionis bonorum, infamiæ, & priuationis Ecclesiasticæ sepulturæ ita enim habetur in Bullis prædictorum Pontificum quorum verba expressa sunt, tamen ex iis pœnis proserptio bonorum & infamia non incurrantur nisi post sententiam iudicis.

Non incur-
runtur pu-
gna non se-
quuta.

Dubatur autem primò, vtrum etiam pugna non sequuta incurrantur à duellantibus hæc pœna. Ita enim affirmant Filliucius *Tract. 29. n. 170.* Peregrinus *Tract. de duello q. 4. n. 1.* & alij plures apud Dianam *part. 5. Tract. 14. resolut. 102.* sed verius tamen videtur excommunicationem non incurrere à duellatoribus pugna non sequuta, quamuis duelli adiutores etiam non sequuta pugna excommunicentur, vt expressè habetur in vtraque Bulla, sic autem docent Sanches *n. 28.* Bonacina, Hurtadus. Nam bulla Gregorij XIII. expressè habet pugnam sequutam esse, neque Clemens circa hæc quidquam addidit.

Reservatio
excommuni-
cationis.

Dubatur secundò, de reservatione huius excommunicationis, nam à Clemente VIII. huius absolutio apertè reservatur Pontifici, non autem à Gregorio XIII. cuius bullæ addidit illud Clemens. Verum rectè negat Hurtadus potestatem ablatam propterea esse religiosis Societatis, quia eorum priuilegiis non expressè derogatur in ea Bulla. Contrarium tamen probat Diana *resolut. 103.* quod eos qui commorantur in Italia, quoad alios certa videtur sententia Hurtadi, quam etiam rectè probat §. 207.

Ecclesiastica
sepultura.

Dubatur, tertio, de sepultura Ecclesiastica cum enim, certū sit, eos qui occumbunt in ipso duello sepeliri non posse in loco sacro, nec ritu sacro cum pompa funebri & cantu Ecclesiæ institutis; tamen alijs qui post duellum moriuntur ex vulnere, controuersia est, vtrum sepeliri debeant ritu sacro. Verius autem videtur quod si moriantur extra locum conflictus quantumvis ex accepto vulnere moriantur sepeliri possunt sacro ritu, quia in Concilio Late-

ranensi dicitur, *si ibi moriantur*, in Tridentino autem, *si moriantur in conflictu* quod intelligendum videtur physicè.

Dico secundò, excommunicari etiam in iisdem Spectatores Bullis illos omnes qui ex condicto, & ex composito sunt spectatores duelli, sic enim expressè dicitur in Concilio & à Pontificibus extenditur ad priuata duella. Vbi spectatorum nomine primò non intelligitur sacerdos excepturus Confessiones eorum qui egerent. Secundò non intelliguntur famuli aut amici accersituri sacerdotem aut Chirurgum si opus sit. Tertio nec illi qui forte fortuna illic transeuntes in locum incurrunt duelli, nihil de illo cogitantes. Denique nec illi omnes qui se habent per accidens ad duellum, quales illi sunt qui ex occulto spectarent loco, vel ex spatio ita remoto vt nihil conferrentur influere in duellum. Illi ergo duntaxat intelliguntur excommunicari qui ex condicto se offerunt vt sint spectatores & testes certaminis, quia scilicet accenditur ex illorum præsentia pugnantium furor, ita enim constat ex verbis Concilij & Pontificum, probantque Sanches *n. 31.* Conink *disp. 32. de charitate n. 29.* Reginaldus, Bonacina; Concilium enim eos solum damnat qui ex condicto id est ex pacto cum duellantibus, vel aliter ex composito ita intersunt vt eorum præsentia promoueat duellum.


Promotores
duelli.

Dico tertio excommunicationi etiam subiaccere ipso facto illos omnes qui duellum quoquo modo promouent, mandato, concilio, consensu, adiutorio, scripture armorum subministrations. Primò enim ipso facto illi excommunicantur, vt habent citata bullæ, quod intelligitur si per te non steterit quo minus sequeretur duellum, si enim mandasses aut consuluisses duellum, deinde verò Consilium à te aut mandatum esset reuocatum efficaciter quantum est ex te, certè non esses excommunicatus. secundò neque seruus excommunicatur heri arma deferens, non amicus arma commodans magis commoda quam illa cum quibus erat sine dubio pugnaturus, non ille qui vulgò, arma vendit, si verò non venderet nisi ad duellum, haud dubium est, quin incurreret excommunicationem.

SECTIO IV.

De scandalo prout est peccatum charitati contrarium.

Sicut discordia opponitur paci charitatis, sic fraternæ correctioni opponitur scandalum, de quo disserit S. Thomas *q. 43.* dicitque quid illud, & quod duplex sit: quod illud sit verè peccatum & quidem aliquando valde graue ac speciale: quanam personæ scandalizent aut scandalizentur, quanam bona spiritualia omittenda sint & quanam perdenda sint bona temporalia vt videretur scandalum. Quæ omnia dixisse videor quantum satis est disputatione prima de peccatis, sectione vltima.



DISPUTATIO V.

Breviculus de Virtutibus moralibus supernaturalibus.

Post explicatas satis plenè tres virtutes Theologicas, immensa sequeretur Tractatio de quatuor Moralibus Cardinalibus, quæ sunt spiritualis paradisi fuenta quatuor è sapientia fonte derivata per quas omnium in nos gratiarum esset plenitudo

Virtutes
quatuor
Cardinales.